

et cum splendore atque gloria: ad quam, haud scio, quemadmodum ascendere possint, qui consuetudinem aliarum gentium, quae ex felici literarum cultu nomen sibi, et famam, pepererunt, vel contemnunt, vel ignorant. Atque ut seorsim de philosophia mythica dicam, cum in ea sub ingeniosis amoenisque integumentis tot comprehendantur rerum gestarum historiae, doctrina lateat naturae et morum: item theologia, siue religio, mores et instituta, veterum, et id genus alia: turpe profecto fuerit elegantioris studioso eruditionis, eius rudem prorsus atque ignarum esse. Habuerunt hoc cum erudita antiquitate commune nostri in hoc septentrione maiores, ut res a se fortiter gestas, poëseos, pro captu seculi, saepe etiam fabularum, artificio, atque aenigmatum, exornatas, ad memoriam posteritatis felicius se transmittere posse sperarent. Quae si integra, cum antiquorum gentis nostrae vatum interpretatione, ad nos peruenissent, historiae, et gloriae, orbis Arctoi mirum, quantum accessisset: ut hoc inuento iam non sola Graecia celebris esset. Sed apud eruditos iam pridem dicta causa est: apud semidoctos, et non idoneos huius rei iudices, ne dicenda quidem. Permittendi illi arbitrio, id est, errori suo: et potius mens illis precanda melior, quam ut nihil profutura aduersum eos disputatione se quisquam fatiget. Quod si in nobis, in coetu florentissimorum huius Academiae iuuenum aliqui erunt; spero non esse; qui itidem de hac bonae eruditionis parte finistre iudicabunt: quanquam eos ratio refellat, et communis vere eruditorum consensus: nescio tamen, quem hoc tempore illis dem, qui errorem opportunius corrigat, quam R. CL. Q. virum, nec de me minus, quam de illis, optime meritum, M. Laurentium Fornelium, Poëseos apud nos Professore eximium: qui in obuio illis et erudito opere Poëticae tripartitae eleganter ostendit, poëtas meliora docere et pulchriora, atque adeo plerasque omnes sapientiae humanae partes complexos esse. Imo Mythicen, si usum vitae potius, quam ordinem discendi, respicias, vel sola factis commendat doctrina et institutio morum. Hanc enim
illa